



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119177**

§. 34. Arx Pragensis a Königsmarchio occupata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

Sæc. XVII.

A. C. 1648.

§. XXXIV.

*Arx Pragensis a Königsmarchio occupata.*

*Jæger. hist. Eccl. l. c. Brachel hist. temp. l. 7. Pufendorff l. 20. sect. 4. & seqq.* **D**um hæc in Bavaria gerebantur, Königsmarchius post Susmerhufianam cladem in superiorem Palatinatum reversus varia ibidem loca & arces, nullo ferme obsistente sibi subjecit, necnon Fürstenoviam & Widenburgum Osnabrugensis Episcopatus urbes expugnavit, violata Hamburgensis pacti lege, qua cautum, *ut neutra beligerantium pars plus juris aut facti in Civitatem & Diæcesin Osnabrugensem sibi assereret, quam id temporis habuisset.* Inde vero in vicinam Bohemiam excurrens, Deiniziam lytro, Tauffum, Glatoviam, Falckenaviam, Schuttenhofium totamque Pilsensem regionem partim ære partim direptione emunxit, atque ad invadendam Pragam animum adjecit, incitante Odoualdo Steitbergio, qui per viginti tres annos in Cæsareis castris stipendia agens, cum in prælio faucius missionem impetrasset, melioris fortunæ desperatione ad Suecos transiit, ac Königsmarchio parvam, ut vocant, Pragam intercipiendi opportunitatem detexit. Hic idem die vigesima quinta Julii cum centum pediti-

ditibus hora post noctem mediam sesqui Sæc. XVII.  
 secunda aggerem conscendit, atque ab A. C. 1648.  
 excubitore inelamatus, mox hunc, bi-  
 nosque vigiles in imum deturbavit,  
 alioque speculatore trucidato, recta ad  
 portam movens, tam celeriter excu-  
 bias pene somno sopitas oppressit, ut  
 effractis foribus ac demisso ponte Sue-  
 cis extra urbis mœnia latitantibus pla-  
 na irrumpendi via pateret: Hi ergo toto  
 impetu in urbem involant, occupant  
 forum, & obvios quosque sternunt,  
 turrimque ad pontem invadunt: Kö-  
 nigsmarckius quoque cum suo Equi-  
 tatu pone secutus, priusquam præsi-  
 diarii ad arma concurrerent, præci-  
 puas stationes & munimenta, Ratschi-  
 nam arcem Regiam, reliquamque Mi-  
 cro Pragæ partem in suam potestatem  
 redegit. Capti fuere ibidem plusquam  
 ducenti ex Cæsareis Ministris, & No-  
 bilibus, ipsoque Harachio Cardinale,  
 aliisque Præsulibus, qui omnes capti-  
 vorum more centi, profusis etiam the-  
 sauris Suecorum avaritiam satiare haud  
 poterant: demum per aliquot dies o-  
 pulentissima hæc civitas militum de-  
 prædationi relinquitur, Königsmarchio  
 præprimis immensum opum rerumque  
 nobilissimarum thesaurum sibi vindi-  
 cante. Postmodum prospero hoc suc-  
 cessu animatus veterem, novamque  
 Pra-

Sæc. XVII. Pragam toto armorum apparatu obfi-  
 A. C. 1648. dere cæpit: ast Coloredus præsidii Præ-  
 fectus, qui ægre ex Parva in veterem  
 Pragam per posticum nuper evaserat,  
 non modo cives, sed cunctos ad arma  
 ferenda idoneos, præcipue vero Aca-  
 demicos ad strenuam urbis defensionem  
 tanta verborum vi incitabat, ut Kö-  
 nigsmarchius, etsi assidua tormento-  
 rum explosione magnam murorum par-  
 tem dejecisset, crebrisque aggressioni-  
 bus & cuniculis extremum excidium  
 minitaretur, infractam tamen obsesso-  
 rum fortitudinem superare haud posset:  
 Adduxerat quidem Wittenbergius Sue-  
 cis, & Comes Bucheimius & Baro de  
 Goltz Pragensibus auxilia, quæ tamen  
 neutri profuere; quia obsidione ad  
 ineuntem usque Novembrem protracta,  
 tandem pacis in Monasteriensi Conventu  
 firmatæ nuntius obsidioni, belloque fi-  
 nem imposuit, non sine singulari Di-  
 vini Numinis providentia, ut Bohemia,  
 ejusque Metropolis Praga, quæ ante  
 triginta annos sua in Ecclesiam, Cæ-  
 saremq; rebellione atrocissimo huic  
 bello initium dedit, eadem nunc ad  
 Catholicam fidem, Cæsarisque obse-  
 quium reversa huic bello exitum  
 poneret.